VIII B20/.7

ut declines a veritate iudicii. Labia stulti
inmiscent se rixis. et os eius iurgia pro
vocat. Os stulti contritio eius. et labia ip
sius ruina anime eius. Verba bilinguis
quasi simplicia. et ipsa perveniunt usque ad
interiora ventris. Qui mollis et dissolutus
est in opere suo. frater est sua opera dissipan
tis. Turris fortissima nomen domini.
ad ipsam currit iustus et exaltabitur. Sub
stantia divitis urbs roboris eius. et quasi
murus validus circumdans eum. Ante
quam conteratur exaltatur cor hominis.
et antequam glorificetur humiliatur. Qui
prius respondet quam audiat stultum se
esse demonstrat. et confusione dignum. Spi
ritus viri sustentat inbecillitatem suam. Spiritum
vero ad irascendum facilem quis poterit susti
nere. Cor prudens possidebit scientiam.
et auris sapientium querit doctrinam. Do
num hominis dilatat viam eius. et ante
principes spacium ei facit. Iustus prior est accu
sator sui. venit amicus eius et investiga
bit eum. Contradictiones comprimit sors.
et inter potentes quoque diiudicat. Frater qui
adiuvatur a fratre. quasi civitas firma. et
iudicia quasi vectes urbium. De fructu
oris sui replebitur venter eius. et genimi
na labiorum illius saturabunt eum. Mors
et vita in manu lingue. Qui diligunt eam.
comedent fructus eius. Qui invenit
mulierem bonam. invenit bonum. et
hauriet iocunditatem a domino. Cum ob
secrationibus loquitur pauper. et dives effa
bitur rigide. Vir amabilis ad societatem
magis amicus erit quam frater. Melior est
pauper qui ambulat in simplicitate sua.
quam dives torquens labia insipiens.
Ubi non est scientia anime non est bonum.
et qui festinus est pedibus offendit. Stul
titia hominis supplantat gressus eius.

et contra deum fervet animo suo. Divitie
addunt amicos plurimos. a paupere autem
et hi quos habuit separantur. Testis fal
sus non erit inpunitus. et qui menda
cia loquitur non effugiet. Multi colunt
personam potentis. et amici sunt dona tri
buentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum.
insuper et amici procul recesserunt ab eo. Qui
tantum verba sectatur nichil habebit.
Qui autem possessor est mentis diligit ani
mam suam. et custos prudentie inveni
et bona. Testis falsus non erit inpunitus.
et qui loquitur mendacia peribit. Non de
cent stultum delicie. nec servum domi
nari principibus. Doctrina viri per patientiam
noscitur. et gloria eius est iniqua pretergredi.
Sicut fremitus leonis. ita et regis ira.
Et sicut ros super herbam. ita et hilaritas
eius. Dolor patris filius stultus. et tecta iugiter
perstillantia. litigiosa mulier. Domus et di
vitie dantur a parentibus. a domino autem
proprie uxor prudens. Pigredo inmittit so
porem. et anima dissoluta esuriet. Qui
custodit mandatum. custodit animam
suam. Qui autem negligit vias suas.
mortificabitur. Feneratur domino qui
miseretur pauperi. et vicissitudinem suam
reddet ei. Erudi filium tuum ne desperes.
ad interfectionem autem eius ne ponas
animam tuam. Qui inpatiens est susti
nebit dampnum. et cum rapuerit aliud
apponet. Audi consilium et suscipe disci
plinam. ut sis sapiens in novissimis tuis.
Multe cogitationes in corde viri. volun
tas autem domini permanebit. Homo indi
gens misericors est. et melior est pauper quam
vir mendax. Timor domini ad vitam.
et in plenitudine commorabitur absque visi
tatione pessima. Abscondit piger manum
suam sub ascella. nec ad os suum applicabit.